



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De quodam seruo, quem duo canes, cum se Episcopum simularet,
lacerauerunt, cap. 53.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

fuit : in cuius aspectu pallens ac tremens , ad circumstantes clamabat : Date mihi gladium , vt repellam à me hunc , qui infestat me virum nigerrimum. Dicentibus eis : Neminem hìc videmus , inuoca Deum , miser ille desperatus respondit : Quid mihi posset prodesse , si modò illum inuocarem ? Multum inquit . Tunc ille : Deus , si potes , adiuua me , sicque expirauit . Et satis timeo quòd modicum ei profuerit tam infirma & tam extorta inuocatio .

CAPVT LIII.

Eodem tempore seruus quidam , aliquando cursor Ottonis Archidiaconi Leodiensis , officium suum deserens , multitudini prædonū , quæ Rurta vulgò dicitur , se associauit : inter quos episcopum se nominans , & episcopum per insulam repræsentans , sociis facere consueuerat peccatorum abolitionem . Die quadam , duobus ex eis vidētibus , duos canes Dominus ei immisit , à quibus laceratus & extinctus , penam soluit deprædationis atque irrisionis diuinorum sacramentorum . Quia prædam homicidia frequenter sequuntur , aliqua tibi proferam exempla de morte miserabili homicidarum .

CAPVT LIIII.

Vix duo anni elapsi sunt , quòd ciuis quidã Monasteriensis defunctus est . Hic cum domum & pecunias multas filio suo vnico dimisisset , ille luxuriosè viuendo cum meretricibus , & in tabernis , omnia sua mobilia consumpsit : domum verò sororio suo vendens , & abiens , pretium illius in breui dilapidauit . Necessitate compellente , ad eundem suum sororium rediens , ab eo , tum propter vxorem , tum propter venditam possessionem , detentus est . Quem cum primùm honestè satis , ac deinde negligentius tractaret , ille ex indignatione eum deserens , domum venditam repetiuit , se circumuentum conquerens . A quo cum nihil per iustitiam siue per minas obtinere posset , bipenni illum in medio foro occidit . Mox in ecclesiam S. Pauli fugiens , clericis cantantibus clamare cepit : Vos domini , defendite libertatem vestram ; quod